



51 A  
RECTORE ACADEMIAE  
MAGNIFICENTISSIMO,  
FRIDERICO AVGVSTO,  
PRINCIPE JVVENTVTIS,  
ΑΠΟΘΕΩΣΙΝ  
A  
STOICIS

AFFECTATAM ET ASSERTAM,  
PRAESES  
M. GEORG. FRIDERICVS Zschau  
ILEBVRG. MISN.

IN  
ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA  
PVBLICE DISSERENDO EXCVTIET,  
AD III. APRIL. ANNO c1s 1s CCXV.

RESPONDENTE  
GEORG. FRIDER. HAMMERO,  
ILEBVRG. MISN.  
DISPVTA T. I.

---

VITEMBERGAE,  
LITERIS AVGVSTI KOBERSTEINI.

A  
V I R O  
SVMME REVERENDO, EXCELLENTISSIMO,  
AMPLISSIMO, ATQVE DOCTISSIMO,

DOMINO  
DN. GEORGIO  
SERPILIO,

PIASTORI AC SVPERINTENDENTI  
IN INCLYTA RATISBONENSIVM REP. VIGILAN-  
TISSIMO, SANCTORIS SENATVS ASSESSORI  
PRIMARIO, SCHOLARCHAE  
GRAVISSIMO

THEOLOGO  
DE ΓΝΥΣΙΩΣ ORTHODOXA ECCLESIA  
QVAM MERITISSIMO, ET  
POLYHISTORI

IN  
TOTIVS ORBIS LITERATI POMOERIS LONGE CELEBERRIMO,  
DVAS

HAS VNIVS ARGVMENTI DISPVATIONES

IN  
LVCVLENTVM ADDICTAE MENTIS ARGVMENTVM,  
CERTISSIMAM PATROCINII SPEM  
ET FIRMAM COMMENDATIONIS FIDVCIAM  
DEMISSE DICAT ET CONSECRAT

EIVS  
ADMIRATOR ET CVLTOR OBSEQUIOSISSIMVS  
PRAESES.



§. I.



St nonnullorum *Affectuum* natura, *Philosophia* Paleant, simul ac foras erupti oculos ferire *gana* mul-  
foetida suæ turpitudinis indolem facile *tuminesc*  
prodant: Ex adverso plures numero, *fastus*, pa-  
cum varia pigmenta admittant, genuinæ *rum Vir-*  
honestatis elegantiam mentiuntur, in-  
tutis.

cautisque rerum æstimatoribus, hac sua  
minjio et cerussa fluente facie, ad ample-  
tendam pro Junone umbram frequenter imponunt. *Ambitionis*  
pruritus, quo speciosiori naturalis inclinationis bonitate & erectio-  
ris indolis superbit phaleris; eo propius quoque veræ Virtutis i-  
magini accedere videtur, sapiusque suæ malitiæ, ne conspici queat,  
caliginem obducere. Proprium quasi hunc nullo non tempore  
*Pseudo-Eruditis* extitisse, & hinc ingentem germanæ sapientia  
probitatique inflixisse cladem, nemo, nisi historiarum penitus  
hospes, inficias ire sustinebit. B. BEIERVM. (a.) hæresium  
rivulus hoc ex venenato fonte, nexu egregio, dudum derivasse  
est notissimum; Et si præsentis nostræ Ecclesiæ, ab hypocrisis affli-  
ctæ, viscera intimius introspeciamus, sat amplum sagacioribus  
relictum cernimus spicilegium. Ludebatur eadem fabula in pro-  
fanis Veterum scholis, mutatis tantummodo personis. Paucos  
in quocunque Sectarum genere, si docendi vivendique eorum  
rationem ad lydium exactæ Moralitatis lapidem revocaveris, de-

A 2

pre-

(a.) In Disputat. Historico-Theolog. de Ambitione hæresium  
Causa.

prehendes ἀνεπιφάντως *Sapientes*: quam plurimos autem, sub fraudulento rigidioris disciplinae velamine, subtilissima sua arrogantiae igniculis pinguia substernentes nutrimenta, ipsoque honorum ἀκκισμῶ, gloriae aucupio avidissime inhiantes; ὕσπετον ἀποδύεται τὸν τῆς κενοδοξίας χιτῶνα ὁ σοφός, acute pariter ac vere olim dicebatur. CICERO, haud infelix Eclecticae Philosophiae Arbitrer, tantum non omnes Philosophos harum officiarum facit reos, (b) licet telum, in alios iactum, jure in ipsum torqueri posset. (c) HIERONYMO Ethnici sapientes *gloriae animalcula & popularis aureae ac rumorum mancipia* jure audiunt; JUSTINI vero MARTYRIS stylo Φιλόσοφοι & Φιλόκουποι commode dici merentur. Inter recentiores ROCHEFOUCAULT tetra fastuosa paganorum doctrinae ulcera passim nudavit: (d) ESPRIT, sub quo nomine DN. FLÉCHIER, Episcopum Nemausensem, latere comperimus, maestricule compretulit: (e) VAYERIVS haud raro dissimulavit. (f)

§. II.

*In primis  
eorum do-  
ctrinae Mo-  
niti; quo  
pertinet  
stoicorum*

Album his calculum negaturus, exspatiatur in hortos, quibus gentiles Philosophi nobilia *Moratoris disciplinae* semina spargere, sibi sunt visi. Sane ipsos, quos fingunt, Elysios campos se ingressum, quis putaret; adeo omnia externo splendore nitescunt, ut ferreus sit, qui ad primum eorum obtutum non obstupescat. En! κάθαρσιν elata fronte urgent, sufflatis buccis jactant ἀπάθειαν & αὐτάρκειαν, ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ fastu plane Diabolico affectant, ἀναμαρτησίαν, & nescio quam *perfectionem νομικὴν*

- (b) Libr. II. Tuscul. quaest. c. XI. & subinit. c. XII. (c) Characterem Ciceronis animi arrogantis vivis coloribus depictum conspici licet apud *Plutarchum* in Cicerone: Avebat supra modum celebrari &c. *Sebasti* quidem *Corradus* in Vita ejus, Lugd. Batav. 1667. 12. edita, illum ab iniquis, quae ipsi videntur, judicii provirili vindicare studet, sed, quo per sepe animo, nemo non facile subodoratur vid. *Clerici* Biblioth. Choise Tom. XIV. p. 139. seqq. Interim noivimus cum famoso *Poireto*, ex copiosis verbosi Ciceronis scriptis nil praeter vanam animi ambitionem & ostentationem loco virtutis elici posse, verum effatum arbitrari Lib. III de Erud. fals. §. 46. p. m. 312. (d) Dans le discours sur les Reflexions ou sentences & Maximes Morales. Amsterd. 1705. (e) De la fausseté des vertus humaines ibid. 1709. 12. (f) De la Vertu des Payens. oper. Vol. I. p. 541. seqq. edit. Parisi in fol. 1654.



*νομικῆν* fastu tumidi crepant, *virtutibus Exemplaribus*, ut vocant, *hyporbesis*  
 & *Heroicis* superbientes incedunt, & quæ sunt alia *fastus Philo- de ἀπο-*  
*sophici παραλογα*: quid mortalia pectora non cogit ambitio? *θεώσει.*  
 Hinc haud immerito CARTESIVS veterum Ethnicorum scripta  
*Moralia palatiis superbis admodum & magnificis, sed arena*  
*tantum aut cæno inædificatis* comparavit, quod iudicium POI-  
 RETVS, qui tamen ex lacunis Gentilium, inprimis Pythagoræo-  
 rum & Platoniorum, ad irriganda sui Fanaticismi prata, plurima  
 derivare solet, suum facere non dubitat. (a) In BAILII vero  
 sententiam nullo prorsus consensu ingredi possumus, dicentis:  
*Nous ne sçaurions disconvenir, qu'elle (Philosophia pagana)*  
*n'ait été aveugle & extravagante sur le chapitre de la nature de*  
*Dieu. Les Philosophes se perdirent dans leur vains raisonnemens*  
*sur cette nature incomprehensible, mais leur morale contient d'ex-*  
*cellentes choses.* (b) Superfedeo vel ex ipsius Autoris assertionem  
 contrarium ad oculos demonstrare, vel capitalia cujuslibet Sectæ  
 dogmata sub incudem sanæ rationis revocare; cum eadem, inpri-  
 mis hac ætate, qua suo vitio favens innovandi libido monstrosa Gen-  
 tilium deliramenta ex orco reducere, quoddamque Religionum  
 chaos conflare, auso prorsus propudioso conatur, atro carbone sa-  
 nioribus passim fuerint notata. Sufficiat in præsentem, quosdam  
 flosculos ex areolis illius Sectæ decerpisse, quæ, simul ac caput ex-  
 tollere cœperit, in *Aulis* Principum, splendidis *Romanorum Fa-*  
*miliis*, (c) *Curia*, (d) ipsiusque orthodoxæ *Ecclesie* (e) *Po-*  
*mœriis*

A 3

- (a) De Erud. falsi. Libr. III. §. 47. p. m. 312. (b) Dans la continua-  
 tion de pensées sur les comètes p. m. 641. (c) Conf. *Vossius* de  
 Sectis Philosoph. c. XIX. §. 13. & *Ryffel* in supplement. c. II. §. 21.  
 (d) Romanarum legum interpretes Stoicorum placitis sua sepiissi-  
 me aptasse, communis est inter Nosstrates sententia. Vide *Schilter*.  
 in *Manud. Philos. morali ad Jurisprud. c. I. §. 5. seqq. Grabinam*  
 in *Originib. Juris Civ. l. I. §. 44. 45.* & exemplum a *Definitione*  
*Juris Natur. petitem in medium profert D. Heumannus* in *Actis Phi-*  
*losophorum nuperrime editis* P. I. §. 26. 27. p. 47. *Nihilofecius*  
 tamen *Paganinus Gaudentius* in *Philosophia Romana* contrarium  
 evincere nisus est, quo successu, judicent, quos libri raritas a le-  
 ctione non detinuit: Saltem *Autor novæ Bibl. P. III. p. 230.* gra-  
 viora *Gaudentii Argumentis* facile superaddi posse, sibi habet per-  
 suasissimum. (e) *Divus noster Neumannus* de *Christianismo*

Stoi-

inertis suos invenit basiatores, & admiratores; quantumvis insolens ejus Philosophorum factus tam graves errores sub Veritatis ac Virtutis hœdera nobis exposuerit, ut ipse LIPSIVS, o! quantus Sectæ Stoicæ Hyperaspistes, exclamet: *ab! mei Stoici, quam a recto per elationem vixisti*; (f) obque solam altitudinem sensuum & decretorum, qua imbecillitatem hanc nostri generis videantur superare, caute eosdem legendos esse judicet. (g)

§. III.

*Cujus erroris ne-  
xus ōs  
Ex sup-  
Petrina-  
ditur.*

Quid enim solidius, verius, cumque revelatione convenientius videtur, dogmate, quo Sapienti suo, Deum perfectissimum Virtutis Ἀρχέτυπον exprimendum, proponebant? Ast, latere anguem sub herba, vel totius hujus hypotheseos connexio, & Synoptica delineatio aperiet. Imaginabantur scilicet sibi, errore decumano & Spinozismum adhuc ante infelices Spinozæ natales adstruente, Essentiam Divinam per totius hujus mundi compagem diffusam, cumque eadem unum quoddam per se Compositum constituentem, id quod exquisitissimi judicii Philosophus Thomafius tam accurate est persecutus, ut vix racemationes post vindemiam curiosis reliquerit. (a) Error errorem, ut cuneus cuneum trudebat. Hoc assumto falso præsupposito, non poterant non animam hominis particulam, ex intima Divinitatis abyfso effluxam, adeoque Deo ὁμοίον fingere. Secundum enim SENE CAM, *animus hoc habet suæ Divinitatis Argumentum, ut divinis delectetur*, (b) tanquam Spiritus divini pars ac veluti scintillula in hoc peccus mortale defluxa. (c) EPICETETO homo ἀπόπασμα τῆς Θεᾶς, καὶ ἔχον τὴν ἐν ἑαυτῷ μέγος ἐκείνης (d) pronuntiatur. Consentit ANTONINVS, Stoicorum alioquin facile modestissimus, *oblitus es, dum inquit, ὅτι ὁ ἐκάστῃς ἡμῶν Θεὸς καὶ ἐκεί-  
θεν ἐρρηγῆς*, (e) τῶν τὸν κόσμον διοικῶντος ἀνθρώπων. (f) Ex hoc fundamento, *Officia in alios* satis præclara, si externam spe-

Stoico hodie redvivo §. 6. seqq. (f) In Manud. ad Philos. Stoic. Dispur. XIV. Lib. III. (g) l. c. Libr. I. Disp. XV.

(a) Dispur. XIV. p. 178. §. 4. seqq. de Stoicorum Deo, Forma mundi informante. (b) Præf. nat. quest. (c) Ep. 92. 120. (d) ap. Arrianum Libr. II. c. 8. cui junge lib. I. c. 14. (e) Libr. XII. §. 21. καὶ ἑαυτὸν. (f) Libr. II. §. 4.

speciem spectes, iusta serie fluebant; cum crudelitatis esse censerent, in propria viscera, hoc est, ut cum *Marco* loquamur, *Φύσει Φίλος καὶ συγγενεὶς* favere: æquitatis autem iis abstinere, eosdem fovere, sustinere, beneficiisque dignos habere, tanquam ex mutua unius animæ participatione, cognatos. Mentem vero solum hac Deitatis prerogativa gaudere, ex dictis facile colligere licet. Namque ex communi fere Veterum hallucinatione (g) duo rerum omnium Principia, sibi ævo æqualia, constituebant: *Deum*, boni autorem, centrumque quasi luminare, substantias spirituales ex sese, velut radios, diffunditans; & *Materiam*, mali corporeorumque Entium causam. Quia igitur hoc pacto nobilem hominis partem in Corpus, ceu ergastulum impurum ac foetidum fatali necessitate depressam, quicquid habeat labis, impuritatis, turbationis & lapsus, omne illud ex connubio cum *Materia κακοποιῶ* attrahere, veram peccati causam ignorantes, somniabant: hinc generis sui excellentiam contra omnes debilitates, ex nexu cum corpore metuendas, invicte asserturi, Suis rigorosius injungebant, ut mentem a corporis consortio penitus abstraherent, compedibus pravaram cupiditatum exolverent, fordibusque ignobilitatis exuerent, quo, superinducto absolutæ Virtutis habitu, mira metamorphosi in his adhuc vinculis corporeis prodeat, qui cæno Materiam occultatus & infectus latuit, *Deus*, seu potius *Idolum Stoicum*. Videbimus propria ἀποδείξεων verba.

§. IV.

Primus in hoc Divorum theatro se sistat *SENECA*, qui omni fere ætate suos habuit laudatores, suos itidem culpatores. (a) E-  
quidem dubitandum forsitan, num hic suum locum jure tueatur, cum a *VAYERIO* Stoicorum numero eximatur, Eclecticis vero  
vindi-  
Testimo-  
nis pro-  
batur Se-  
neca.

(g) *Gassendus* Sect. I. *Phyfic. Libr. I. c. 6.* omnes Philosophos veteres hujus erroris insinuat, conf. *Thomasi* *Schediasma Historicum* §. 37. coll. cum §. 34.

(a) Vel in ejus vitæ integritate, vel styli ratione, vel philosophandi methodo varii varia desiderant, laudantque. *Judicia Quintiliani, Malebranchii, Huberi, Erasmi, Dionis, Chebræi, Schuppii, Baylii, Euremontii & Anonymi* des caracteres de l'homme sans passions selon les sentimens de Senèque, aliorumque, harum rerum curiosos non

vindicetur: Il ne s'est attaché à pas une des anciennes (Sectarum) si précisément, qu'on puisse dire de la quelle il estoit. - Il s'éloigne aussi par fois si fort de principes de Zenon, & il embrasse tantost les opinions d'Epicure, tantost celles de Diogene, ou de quelqu'autre avec tant d'affection, qu'il semble avoir abandonné la doctrine du Portique. (b) Subscribimus sententiae viri celeberrimi de nostri Annæi ἐκλογῆν data; ideo tamen cum Principem ἀποθεώσεως Stoicæ assertorem in scenam producere nullatenus veremur. Ita autem ille: *Sapientem Deo aequo.* (c) *Sapiens cum Diis ex pari vivit;* (d) *Deo socius non supplex, illi par surgit, si non desererit naturæ beneficia.* Et cum κατ' ἀρῶν ostendisset, quæ beatum non efficiunt, pergit κατὰ θεῶν: *quid hoc est? animus sed rectus, bonus, magnus. Quid aliud voces hunc, quam Deum in humano corpore hospitem &c.* (e) *Non potest quicquam aut nocere sapienti aut prodesse, quemadmodum divina, nec juvari nec ladi possunt. Sapiens vero vicinus proximusque Diis consistit, excepta mortalitate, similis Deo.* (f) Ita Stoicus factus, imbecillitatis suæ immemor, prodigiose exultat, ipsiusque Dei sacraria involat, conatu, Phaethontis ruina digno, quid? multis parasangis Ens perfectissimum post se relinquere audet. *Torum huc (intelligit Philosophiam) converte mentem, huic asside, hanc cole, ingens intervallum inter Te & cæteros fiet, omnes mortales multum antecedes, non multum diutius erunt: quid inter Te & illos futurum sit queris? diutius erunt, & paucis interjectis: Est aliquid, quo Sapiens Deum antecedit, ille naturæ beneficio, non suo Sapiens est.* (g) Ille  
*extra*

non latent, vid. Stollii, Gymnas. Hildburgsh. Director. Histor. doctr. moral. Ethn. nuper Jenæ edit. 4. not. ad §. 113. & 114. Elogia Lipsiæ intemptiva, inque lectorem injuria nobis videntur, in Manud. ad Philos. Stoic. Disput. XIX. op. p. 761. seqq. Lugd. in fol. 1613. Judicium in Gellio obvium iniquius Lib. XII. c. 2. Gatakeri in Præf. ad Anton. cautius: *Autoris Anonymi*, del'Esprit de Senèque Bruxell. 1713. 12. meritis Senecæ superius. Sed de his & aliis, criminibusque, quo veritatis fundamento Senecæ fuerint objecta, prolixius discendi commodior forsitan nobis dabitur occasio. (b) De la Verru des Payens oper. Vol. I. p. 655. (c) Ep. 41. (d) Epist. 59. (e) Ep. 31. Coll. cum Ep. 18. & de vit. beat. c. 16. & Ep. 92. (f) c. 8. ad Seren. (g) Ep. 53.

extra patientiam malorum est, non supra patientiam. (h) Jupiter quo antecedit virum bonum? diutius bonus est, sapiens nibilo se minus aestimat, quod virtutes ejus spatio breviori claudantur. Deus non vincit Sapientem felicitate, etiamsi vincit etate. Sapiens tam equo animo omnia apud alios videt contemnitque, quam Jupiter & hoc se magis suspicit, quod Jupiter, ut illis non porest, Sapiens non vult. Et. (i) Cum stupore hæc excerptimus, non tamen eodem, quo SCHEVRLIVM, immoderatum Sectæ Stoicæ Encomiasten, Senecæ scripta legisse, novimus. (k) Sunt hæc & alia, Φορτικὰ ἀνίσταται, Sapientiæ divinæ cognata, pia, & ad sanam morum institutionem imbibendam conductura? Affirmant, qui Nostrum, *Christiana fidei Alumnus*, magnificis ejus dogmatibus allecti & delusi, clamitant. (l)

§. V.

Senecam excipit EPICETVS. Commonstret quis ve- *Epicteti.*  
strum inquit, *hominem*, θεὸν ἐξ ἀνθρώπων, ἐπιθυμῶντα γενέσθαι,  
καὶ ἐν τῷ σωματικῷ τῶν τῶν νεκρῶν, πρὸς τῆς πρὸς τὸν Δία κοι-  
νωίας βεβησμένον. (a) Quibus verbis sicuti Stoicorum affe-  
ctatam ac præceptam ἀποθέσειν graphice describit: ita de ea  
consequenda ipsum omnem ponitus spem abjecisset, *Ego sum*  
*vester Præceptor, proinde hanc suscepi curam, ut vos tales effi-*  
*ciam, tantum credit mibi & videbitis.* Alibi in hæc erumpit  
verba: κατὰ γὰρ τὸν λόγον, εἰδὲ χειρῶν τῶν θεῶν, εἰδὲ μικρότερος.  
B Λογος.

(h) De Provid. c. 6. (i) Ep. 73. tot. (k) In Bibliograph. Moral.  
§. 207. p. m. 140. seqq. (l) Alios seduxerunt epistolar, quæ de  
Seneca ad Paulum, hujusque ad illum circumferuntur. Leguntur  
ap. Autores; quos citat Fabricius in Biblioth. Lat. p. 73. edit. 1697.  
His adde Dilherri farrag. rituum secul. & sacror. Lib. III. c. 3. qui  
Tr. insertus Opuscul. Hist. & Philolog. fascicul. VIII. p. 20. seq. Hi-  
storiam de conversione ac relig. Senecæ Ryffelius Suppl. ad Voss.  
c. XI. §. 3. ex Hornio Hist. Philof. Lib. IV. c. 6. refert. Ex instituto  
vero hoc Argum. tractat D. Egid. Strauchius in Dilp. de Christia-  
nismo Senecæ examinato.

(a) Ap. Arrianum Lib. II. c. 19.

λόγος γὰρ μέγας ἐστὶν ἡμεῖς, ἢ δ' ὕψος κενέται, ἀλλὰ δόγμασιν.  
 Οὐ θύλας ἐν κατ' ἴσους εἰ τοῖς θεοῖς, ἐκεῖ περ τίθεσθαι τὸ  
 ἀγαθόν; (b) Et ne videatur Suis ideas mere Platonicas & chi-  
 marica, supra omnem mortalitatis sortem posita, injungere, in  
 exemplis singulare pondus quærit: Οὗτω γὰρ ποίων Διογένους  
 καὶ Ἡρακλείτου, καὶ οἰομοιοί, ἀξίως θεοὶ τε ἦσαν, καὶ ἐλέγοντο. (c)  
 Quibus verbis Clar. WOLFFIVS, suspectas Epicteti doctrinas in  
 molliorem sensum alioqui flectere allaborans, jure addit: *Info-*  
*lenter utique & imperite; quam enim infinito intervallo vel præ-*  
*stantissimus homo ab extrema umbra divinitatis abest?* SNECANVS  
 vero frustra hic quandam ὑπερβελὴν effingit (d) Judicet ergo  
 saltem ex his æquus rerum æstimator, quo jure noster Hieropoli-  
 tanus titulum viri ab omni fastu & arrogantia alienissimi me-  
 reatur. (e) Hæc singula interim si secretiori animi æstimatione  
 perpendamus, miramur lapsum BARTHII, (f) frivolos POIRE-  
 TI (g) voces eludimus, leviores BERCKELIO, (h) conje-  
 cturas ignoscimus, GATAKERI (i) assertiones ἀποτόμως ne-  
 gamus. His & aliis, luto pagano quasi occoecatis, oculus mentis,  
 si adire eundem liberit, aperiendi, Clariss. Michael. ROSSA-  
 LIVS, congrua suppedidat remedia. (k)

§. VI.

Antonini

Ordo tangit MARCVM AVRELIVM ANTONINVM,  
 τὸν ἐπιβασιλεύσει, Isaaci Casauboni iudicio, Φιλοσοφώσαν, in  
 quo Celeberr. DACIERIVS, nescio, quem profundæ doctrinæ  
 moralis thesaurum reperisse videtur, dum inquit: *Ce livre seul*  
*pour-*

(b) Lib. I. c. 12. conferatur cum Lib. II. cap. 14. (c) Enchirid. c. XXI.  
 edit. Lugd. Batav. 8. 1670. p. 30. Nolumus hic cuidam litem mo-  
 vere, num Epictetus propria manu conscripserit Enchiridion?  
 negat Simplicius in Comment. præfat. ad illud: *Τὸ δὲ βιβλίον*  
*αὐτὸς ἐπισητῆς ἐγγχειρίδιον ἐπιγεγραμμένον, καὶ τέτο*  
*αὐτὸς συνέταξεν ὁ Ἀρριανὸς κ. τ. λ.* (d) In Vit. Epict. En-  
 chiridio plerumque præmissa. (e) Adversar. Lib. LIII. c. X. ali-  
 bique. (f) De erud. fals. Lib. III. §. 51. (g) In præf. Enchirid.  
 a se edit. supra cit. (h) In Præfam. ad Antonin. (i) In Dis-  
 quisit. de Epicteto Philosopho Stoico, quæ probatur, eum non fuisse  
 Christianum Groning. 1708. 8.

pourroit nous rendre si pieux & si justes, que nous n'avions plus qu'un pas a faire, pour être de véritables Chrétiens &c. (a) ANTONINVS tamen, ut non a pluribus aliis, sic nec hoc, in quo eruedo nostra occupatur opera, errore fuit immunis; *Vides*, inquit, *quam pauca sint*, quæ si quis tenuerit, δύναται εὐραγ καὶ θεοδὴ βίωσαι βίον καὶ γὰρ οἱ θεοὶ πλέον ἔδεν ἀπαιτήσασθαι παρὰ τὰ τῶν θεῶν φυλάσσοιτος. (b) *Interpres* explicat per vitam divina partem s. quæ Deorum est par prorsus; nec incongrue; Si & principia Stoæ, & loca Parallela diligentius conferamus; accedit συνάφεια textus, quæ vix quandum *Topicam*, quæ apud Græcos pariter ac Latinos Autores est usitatissima, explicationem admittendam svadet. Alibi Noster asserit, quod *multum conducat meminisse Deorum*, quodque nolint illi ratione pradtos ipsis adulari sed ἐξομοῖσθαι ἑαυτοῖς. (c) Qui velit cum quibusdam τὸ ἐξομοῖσθαι per τὸ μιμῆσθαι emollire, ne & menti Philosophi & ipsi vocis significatui vim inferat, verendum. Equidem τῶν θεῶν ἐξομοῖσθαι, in saniori si accipiatur sensu, nihil monstri alit, a viris Θεοπνεύσοις ipsis haud infrequenter inunctum: ast cum sit convenientissimum, cuiuslibet autoris locutiones secundum hypothesen, quas eum fovere scimus, interpretari, nos non videmus, qua veritatis Specie pio hoc sensu tuto queamus hic acquiescere. Suppetit adhuc unicus locus, quem *κρητικατὰ τρε* in varia sententiarum divortia rapuisse legimus. *Intra decimum diem* θεὸς αὐτοῖς δόξεις, οἷς νῦν πύθνηκος, εἰὰν ἀποκδ' ὠψης ἐπὶ τὰ δόγματα καὶ τὸν σεβασμὲν τῆς λόγῃ. (d) MERICVS CASAVBONVS suam hic fatetur incertitudinem, num DEI appellatio ad ἀποθέωσιν Imperatorum post mortem solennem; num ad divinos honores, etiam viventibus haud raro tribui solitos, referri; num hyperbolice explicari debeat; propius tamen in eorum inclinatur opinionem, qui Antoninum his verbis vulgi temeraria & inconstantia iudicia exprobrare voluisse credunt. GATAKERVS itidem nihil certi determinat. Cardinem decisionis in ipsa, a Marco addita, restrictione, ceteris paribus, veruari

B 2

arbi-

- (a) In Præf. versionis, quæ prodit sub titulo: Reflexions Morales de l'Empereur Marc. Antonin avec des remarques. Ultraj, 1691.  
 (b) Lib. II. §. 5. (c) Lib. X. §. 8. (d) Libr. IV. §. 16.

arbitramur, quam si Criticis nostris attendere placuisset, eosdem vix in asserendo dubios & ancipites fluctuasse facile crediderimus. Scilicet fundamentum tam subitaneæ mutationis non in divitiis, honoribus, fortitudine, nec rebus, ample magnificeque gestis; (quam frivole enim de bonis externis loquuntur Stoici!) sed in *Studia Sapientia vere Stoicæ* quærit. Hujus autem qualis effectus? certe non Divinitas quædam *hyperbolica*; nec quæ apud Veteres solennis erat, *Heroica*; nec secundum vulgi iudicium *imaginaria*: sed, cujus femina in anima Stoicus se jam habere credebat, proprie talis, ita ut ejusmodi Sapiens non tam videatur, quam vere sit *θεοειδής, θεοεικέλος & ισόθεος*. Nec tunc hac assequenda Nostrum forsitan desperasse, ex eo minimum colligere licet, quod errorum immunitatem, affectuum carentiam, & nescio quas perfectiones divinas plures, in nostra potestate esse sitas, audacissime affirmet, de quo infra uberius.

§. VII.

*Aliorum.  
que in  
fragmen-  
tis, qua  
non alle-  
gantur.*

Hæc in præsentem ex principibus Stoicorum collecta sufficiant testimonia: Nec deest consensus eorum, quorum quidem nihil scripti posteritati relictum scimus, sed *λείψανα* apud PLUTARCHVM, STOBÆVM, GALENVVM, LAERTIVM, GELLIVM, CICERONEM aliosque reservari. Equidem quis fortassis temerarium duceret, vel saltem restrictione & cautione dignum, tuto aliorum niti autoritate, & verbis sæpe præter mentem alterius adductis, acquiescere, metu, ne idem, quod *Socratem* ad huc superstitem *Platoni* objecisse, memoria proditum legimus, harum rerum collectoribus occini possit: *proh Dii immortales! quam multa de me mentitur adolescens*: Attamen cum suppetant tot ex ipsis Stoicorum monumentis, quæ temporis injuria non perire, testimonia, ceteros in dogmate tam capitali discessisse vix suspicari debemus, Interim tamen hæc & alia prolixiori tractu persequi ob pagellarum, a superioribus præscriptarum, angustiam non licet; nec ob perspicuitatem supra communicatorum operæ pretium ducimus; quemadmodum nec in eos inter scriptores gentiles inquirere, qui in hoc Argumento, quod tractamus, *μάλιστα* *Στωικῶς* sæpe sunt locuti; licet eorum lectionem amplum nobis dictorum proventum promittere posse facile coniceremus.

§. VIII.



§. VIII.

Hinc Coronidis loco detegimus fontes, ex quibus procul *Fontes,*  
 dubio Porticus inhabitatores suos agros irrigarunt. Verum est, *ex quibus*  
 Sectam Stoicam PLATONICAE & CYNICAE proxime acce- *hanc by-*  
 deree, licet falsum, quod *Lipsius* approbat, POETAE effatum: *potbesin*  
*Stoicos saltem tunica a Cynicis distare.* (a) ZENO enim CIT- *hauserunt,*  
 TIEVS (b) CRATETI, (qui a CRATETE *Academico* probe di- *detegun-*  
 stinguendus est) Diogenis Cynici auditorum ut facile principi, sic *tmr.*  
 in illuviem & obscenitatem protinus effuso, ad tempus diligen-  
 ter adhæsit (c) a quo, verecundior, quam ut ad Cynicas im-  
 pudentias se conferre posset, tandem defecit, licet alioquin Cyni-  
 cismum per σύντομόν ἐπ' ἀρετὴν ὁδὸν definiverit. (d) Hinc  
 factum esse reor, quod *Cicero* ab *Antisthene* Cynicorum primo,  
 deinde Stoicorum familiam deduxerit. (e) *Epictetus* genui-  
 num Κουισμόν satis honorificis depingit coloribus: (f) *Seneca*  
*Demetrius* suum Cynicum eximiis extollit laudibus: (g) *Laer-*  
*tius* ἠνώπιον ταῖς δύο ταυταῖς αἰρέσεσιν (*Cynicam* intelligit &  
*Stoicam*) εἶναι asserit. (h) Audivit idem Zeno *Xenocratem*  
*Chalcedonium*, præstantissimum studio pariter ac doctrina Plato-  
 nis discipulum, per decennium perpetuum, ut nonnullorum esse  
 dicitur sententia: (i) Scholam *Polemonis* (k) cum *Arcefla*,  
*ἀναταληφίας* Autore, assidue frequentavit, quorum uterque,  
 facta a Majorum' placitis dissensione, prima novæ hæresis jecit  
 flamina; quantumvis non desunt, qui nostrum Cttieum non

B 3 tam

- (a) Satyr. XIII. (b) *Galeno* de dogmat. Hypocrat. & Platon. Lib. II.  
 c. VI. ὁ πατήρ ἀπάσης τῆς πῶν Στωικῶν αἰρέσεως: *Balbo*  
 apud *Ciceronem* de Natura Deorum Libr. III. Stoicorum Pater:  
*Straboni* LIB. XIV. ὁ τῆς Στωικῆς αἰρέσεως ἀρχηγέτης dicitur.  
 (c) *Laertius* Libr. VII. Testatur id quoque *Svidas* notante *Aldo-*  
*brandino* ad locum *Laertii*, eum μάθητὴν Κράτητος τῆς Κουικῆς  
 appellando; conf. & *Vossium* de Sect. Philos. c. XIX. §. 3. (d) vid.  
*Lipsii* Manud. ad Philos. Stoic. Disput. XIII. Lib. I. (e) Lib. III. de  
 Oratore. (f) apud *Arrianum* Libr. III. c. XXII. (g) Libr. VII.  
 de Benefic. c. I. c. 18. & *Epist.* 20. Ego certe aliter audio, quæ dicit  
*Demetrius* noster, quum illum vidi nudum, quanto minus, quum  
 stramentis incubantem. Tunc enim non præceptor veri, sed testis est.  
 (h) *Laertius* l. c. (i) *Cicero* Lib. I. quæstionum Academic.

tam novarum rerum pondera, quam verborum lusus introduxisse perhibeant, (l) ideo a *Lipſio* deſenſum. (m) Nec eſt, ut hæc verbosius diducamus, cum inſtitutus inter utriuſque Sectæ decreta parallelismus, noſtri aſſerti veritatem certius adſtruat. Error, in quo excutiendo in præſentia verſamur, ſine dubio ſuos natales Academia, quam *PLATO* aperuit, in primis debere videtur. Gradus enim Virtutum, *Platoniciſ* colennes, aſſertam aſſertamq; *Σοφείων* ſive haud obſcure nobis inſinuunt: Dicebant enim alias *Politicas*, que ex beſtia quaſi facerent hominem per *μυſτεριοπάθειαν*: *Purgatorias* ex homine *Dæmonem bonum* per *ἀπάθειαν*: *Intellectuales* ex tali *Dæmone Deum*: *Exemplares* ex *Deo Patrem Deorum*, qua lege volebant hominem non modo ſimilem *Deo fieri ſed æqualem*. (n) Ultimum enim *Sapientis Platonici* finem fuiſſe *ὁμοίωσιν τῷ Θεῷ* varii teſtantur autores, quorum quo minus tranſcribamus teſtimonia, opera Summe Reverendi *CRELLII*, (o) & *B. DASCHIZKI*, (p) in iis eruendis ante nos occupata, impedit. *SOCRATEM*, qui primum *Philoſophiam* e cælo evocaſſe, antiquioribus dicitur, ad eandem felicitatem ſua direxiſſe dogmata, autor eſt *Stobæus* dicens: *Σωκράτης, Πλάτων ταῦτὰ τῷ Πυθαγόρᾳ τέλος ὁμοίωσιν Θεῷ εἶναι λέγουσι*. (q) *Platonem* autem, *Academicorum*, & *Antiſthenem* *Cynicorum* anteſignanum, ex *Socratis* ludo prodiſſe, notius eſt, quam ut copioſiori indigeat probatione. Et ſi hujus Autoris, modo allegati, ductu in originem inſani erroris altius inquirere lubeat, *PYTHAGORAS* hujusque *Aſſectæ* eundem ſcopum ſibi præfixerant, per cantatiſſimam *κάθειρσιν, ἐπιτροφήν εἰς ἑαυτὸν, & ἀνοδὸν πρὸς τὸν Θεὸν* felici ſucceſſu impetrandam, ut e *PSELLO*, *JAMBLICHO*, *JVLIANO*,  
STO-

(k) *Cicero* *Libr. I.* quaest. *Acad.* & *Libr. IV.* de finibus. *Laertius* in *Zenone*, ubi quoque (editionem *Managii* innuo) *Sſide* teſtimonium reperire licet. (l) conf. *Auguſtinus* de *Civitate Dei* *Lib. IX.* c. *IV.* *Cicero* de finibus *Bonorum & Malorum*, *L. III.* 1. *IV.* 3. 4. *II.* 21. de *Natura deorum* *Libr. I.* c. 7. (m) loco cit. *Diſputat.* *XV.* *Libr. I.* (n) *Thomaſius* in *Schediasmate Hiſtorico* p. 58. ſeq. niſi fallor, ex *Porphyrjo*. (o) vid. *Diſputat. inauguralem* de *Similitudine Dei ac unione cum eodem* §. 25. ſeq. *Lipſ.* 1714. (p) *Diſput.* ſub præſidio *Divi Neumannii* habita de *ἀποκαθάριſει* animæ ante & poſt mortem contra *Poirerum* §. 5. ſeq. *Viteb.* 1707. (q) *L.* *II.* *eclog.* c. *III.*

STOBÆO, Iuculentiusque ex HIEROCLIS præfamine in aurea carmina, longiori sermonis tractu demonstrare sit facillimum, nisi quoddam nobis hic fecisset otium, diligentissimus *Philosophia Pythagoræ* Indagator, SCHEFFERVS, (r) & qui ejus pressit vestigia BVDEVS. (s) Ex quorum autem officinis noster *Philosophus Samius* hæc segmenta furruperit, ii quadam conjectura assequi valent, qui, cum quibus idem in diuturna peregrinatione conversatus fuerit, meminerint: licet nolimus hic simpliciter determinare, num unquam *Palestinam* ingressus fuerit, vel cum quibusdam antiquioribus non solum sed & recentioribus affirmare, ipsum plura a *Judeis*, quam *Ægyptiis* hausisse, de eo enim nullus hic disserendi locus. Hoc tamen sicco pede præterire non possumus, quod *Platonica* Philosophiæ *σύσθησις* illud, quod *Pythagoræ* absolute dixerat, solidius, cautiusque κατὰ τὸ δὲ νόστον ἀνθρώπων restrinxisse videatur, affirmante STOBÆO, ALCINOO, CLEMENTE ALEXANDRINO: (t) Licet non desit etiam apud *Hieroclem* locus, idem de *Pythagora* affirmans, cujus tamen insertam restrictionem, quantum licet hominibus, ex Philosophiæ *Platonice* arcanis adjectam esse, *Schefferus* admonet, (u) id quod omnino sollicitiorem meretur disquisitionem: hoc enim si ad dilucidum fuerit diductum, haud leve accipiunt Argumentum, qui *Platonica* Philosophiam *Pythagorea*, *Stoica*, & *Epicurea*, sanioerem, probioremque esse affirmant; talem in Argumento, quod hæctenus persecuti fuimus, *Platonicos Stoicos* longe præferre non dubitaremus, licet alioquin horrendas eorum assertiones, quas in promptu habemus, nec excusare, nec in crustare ulla ratione velimus. Quam impio enim insanoque sensu illustres communitatis *Stoicæ* viri sapientem, Deo similem fieri debere, jactarint, in posteriori Disputatione, Deo si visum fuerit, sollicitiori cura inquirere animo decrevimus. Supremo interea Numini pro coelitus præstito auxilio gratias agimus, quas ex intimis pii pectoris recessibus depromere valemus, idemque toto animo proni veneramur, jubeat nos in purgandis Veterum  
statu-

(r) de *Natura & Constitutione Philosophiæ Italicæ* c. VII. (s) de *Kaδάσεις Pythagoræ - Platonica* §. 2. seqq. (t) vid. *Grellium* l. c. §. 25. & *Buadenum* §. 3. (u) loc. cit.

stabilis ita versari, ut intemerati egrediamur, nullumque veræ  
 Virtuti & Veritati labem adpersam sentiamus: PAVLI enim, viri  
 Θεοπνεύστῃ ἰσχυρῶς ἰσχυρῶς ἰσχυρῶς ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν,  
 καὶ ἐσοφίᾳ ἢ ἀσύνετος αὐτῶν καρδία φάσκοντες εἶναι σοφοὶ  
 ἐμωρύνθησαν καὶ ἠλλάξαν τὴν δόξαν τῆ ἀφάρτε Θεῶ ἐν ὁ-  
 μοιωμάτι εἰκόνος φάρτε ἀνθρώπων, quæ verba in Stoicos  
 optime quadrare, neminem tam obsecraris esse existi-  
 mare, qui non facile subodoretur. (x)

(x) Rom. I. vers. 21. 22. 23.

T A N T V M.

Ὁ ἄβιος ἰσχυρῶς πόνοις, καὶ ἔνομά σῃ διὰ αὐτῶν  
 Πόσῃ ἐνταυθαὶ δῆλον ἅπασιν σοφοῖς.

P R A E S E S.

*Insignis sic docta premis vestigia patris,  
 Sic reperitque gemens in TE solamina blanda  
 Mater: Et hinc patriæ communis Tu decus auges,  
 Ingens cum studium non desinit esse perenne  
 Ac semper Tua sedulitas insueta labores  
 Insuetos poscit, cujus jam das nova signa.  
 En! semel intrasti non pridem digne Palastram  
 Doctam, quo jam jam studiosus denuo tendis.  
 Gratulor accersens hinc, quæ nutrix, Ileburgum;  
 En! Sobolem, binos certantes agmine natos  
 En! lucem in Cathedra, post cerne superba triumphæ  
 Quos nisi ornares, fores ac ingrata maneres.*  
 Ernst, Reinhard, Goldner. Ileburg. Mifn. LL. St.

*Quam modo linquebas, cathedram dum denuo scandis,  
 Numina qui cælis donant non una, refutans,  
 Nobile das specimen, Te non piguisse laborum,  
 Ingeniique Tui fatagis depromere dotes.  
 Scilicet ut saxi collis profluit ignis,  
 Sic concurrentes animi bona plurima produunt,  
 Perge Camoënarum folera penetrare recessus,  
 Itaque per templum virtutis, honoris ad ædem.*  
 Adolphus Frid. Mylius, Ileburg. Mifn.

94 A 7380

ULB Halle  
004 073 428

3




June 1889 VD 17

ST







51 A

RECTORE ACADEMIAE  
*MAGNIFICENTISSIMO,*  
FRIDERICO AVGVSTO,  
PRINCIPE JVVENTVTIS,  
**ΑΠΟΘΕΩΣΙΝ**  
A  
**STOICIS**  
AFFECTATAM ET ASSERTAM,  
*PRAESES*  
**M. GEORG. FRIDERICVS** *Stebau*  
*ILEBVRG. MISN.*  
IN  
*ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA*  
*PVBLICE DISSERENDO EXCVTIET,*  
*AD III. APRIL. ANNO cIo 1o CC XV.*  
RESPONDENTE  
**GEORG. FRIDER. HAMMERO,**  
*ILEBVRG. MISN.*  
**DISPV T A T. I.**  

---

*VITEMBERGAE,*  
*LITERIS AVGVSTI KOBERSTEINI.*

